



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De subjectione, & alia jura ac privilegia amittant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

excepti sunt, prout etiam patet ex *c. Solita* 6. b. t. Et hinc Abbates etiam & Sacerdotes alii, qui curam animarum habent, si Episcopo subiecti sint, & ad synodum diœcesanam vocentur, comparere debent, *c. Quod super his* 9. h. t. ita ut nolentes cõparere per censurã etiam Ecclesiasticam compelli possint, quin imò etiã Abbates exempti, si populum sub se habeant, comparere debent. Observetur tamen in his consuetudo Diœcesis, videatur etiam de obedientia exhibenda Cardinalibus à Clericis sui Tituli *c. His, quæ* 11. h. t. & de obedientia ac reverentia suis Abbatissis exhibenda à Monialibus *c. Dilecta* 12. h. t. & *c. legebatur* 3. ac *c. cum in Ecclesiis* 10. h. t. de obedientia ac reverentia à Clericis suo Episcopo aut à regularibus suo Abbati promittenda, juramento scripto, vel manuali tantum & verbali promissione. Et de juramento fidelitatis ac obedientiæ suo Archiepiscopo exhibendo ab Episcopis suffraganeis *c. cum dilecti* 13. h. t. Et denique de componenda controversia, quæ inter Clericos nonnunquam oritur de superioritate unius & subiectione alterius, *c. final* h. t. ac quæ de poenis inobedientium statuantur in *c. 2. §. 5. h. t.*

§. III.

An minor, seu inferior possit exercere jurisdictionem, ac potestatem in se superiorem, aut illi hic subiecti?

Respondetur, ordinariè hoc fieri non posse, ut ostenditur in *c. Cum inferior* 16. h. t. nisi in casu, quo inferior Delegatus Papæ constituitur, aut speciale privilegium obtinet contra Superiorem.

IV.

An Ecclesia, cujus Episcopus, seu Prælatum, vel etiam Capitulum, & Clericus in hæresin vel schisma incidit, jurisdictionem, & alia jura ac privilegia amittat?

Respondetur ex *c. Inter quatuor. s. h. t.* clarè colligi, quòd omnia Ecclesiastica jura & privilegia amittat Ecclesia (saltem quoad exercitium, & post declaratoriam sententiam incurset hæresis aut schismatis, si in hæresin vel schisma, non quidem Episcopus tantum aut tantum Capitulum, sed Episcopus & Capitulum labatur) prout etiam de hæresi colligitur ex *c. Vt commissi* 12. §. *privandi de hæresi* in 6. & de schismate ex *Can. Novatianus causa* 7. 9. 1. (cùm enim hi tales non sint membra Ecclesiæ, meritò privantur juribus Ecclesiæ) ita tamen ut eadem vel ipso jure, vel per sententiam Judicis recuperata sit, postquam rediit ad unitatem Ecclesiæ, nisi absolutè jam in aliam Ecclesiam jura illa legitimã auctoritate translata fuissent.

§. V.

De subiectione, & obedientia exhibenda Summo Pontifici.

DE hac agitur in *Extravag. Vnam sanctam* 1. & in *Extravag. Vt Prælatorum* 2. & in *Extravag. Etsi deceat* 3. h. t. inter communes. & aliquid etiam habetur in *Extravag. Ecclesia. Vnica* Ioan. 22. h. t. quæ videri possunt.